



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

6 Vtrum accidens sit instrumentum tantum in productione alterius  
accidentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)



Organiza-  
tio an actio  
vitalis.

Vide Vallo-  
sum lib. 2.  
c. 1. q. 1. 8.  
d. cal. c. 8.

nullum inueniri sufficiens signum illius influxus, & ideo non esse leuiter & sine fundamento asserendū. Quod etiam confirmat Eucharistiae mysterium, ubi accidentia vini & quae agunt sine influxu suae formae. Video dici posse Deum supplere illam efficientiam ab fidem mysterij: tamen ubi nulla necessitas cogit, non oportet recurrere ad diuinam causalitatem. Ad posteriorem partem probabile est, semen quoad spiritum in eo supplantatū, viuere vita vegetatiua, ad quam spectat modus ille vitalis, qui videtur esse in generatione viuientis: atque ita videtur sentire de semine Aristot. 2. de Generatione animal. cap. primo. quia habet virtutem organizandi corpus, & generandi, quod videtur opus animae vegetatiuae. Neq. ab illa sententia discrepare videtur D. Thom. 1. p. q. 118. ar. 1. ad 1. Secundo, quidquid de hoc sit, responderetur. actiones animae vegetatiuae quoad substantiam eiusdem esse rationis cum his, quae ab extrinseco principio sunt: omnes enim sunt aut motus locales, aut alterationes, veleductio formae substantialis, vnde solum habent rationem actionis vitalis ex peculiari habitudine ad animam, vt ad principium coniunctū in eodem supposito se mouente. Sicut locutio hominis est actio vitalis, locutio autem angeli in corpore assumpto non est vitalis, licet sint similes in exteriori specie. Sic ergo actio seminis vt est ab illo, nō est vitalis, sed merē naturalis actio: quod autem in artificio (vt sic dicam) seu in ratione agendi seruet modum vitae, referendum est in aliud superius principium, vt tactum est supra.

## SECTIO VI.

*Utrum accidens sit instrumentum tantum in productione alterius accidentis.*

I.



Vidam contendunt accidens dicendum esse principium tantum instrumentale. Et communiter haec opinio Diuo Thomae tribuitur, qui illam insinuat in 1. distinct. 3. quaest. 4. art. 3. ad 2. ideoq. sectatores eius frequentius illam sequuntur, hisque rationibus confirmant. Prima, quia accidens est essentialiter subordinatum substantiae in esse, & consequenter etiam in actione. Secundo, quia accidens accipit à substantia totam virtutem agendi. Neq. obstat, quod causa principalis proxima etiam accipit virtutem agendi à prima, nam causa secunda & prima sunt diuersi ordinis, & non repugnat causam principalem inferiorem accipere virtutē à causa superioris ordinis: accidens vero est in agendo eiusdem ordinis cum sua substantia, & cum ea constituit vnum proximum agens integrum, & ab ea recipit virtutem agendi: hoc autem modo accipere virtutem ab alio eiusdem ordinis, constituendo cum illo vnum proximum agens, est proprium causae instrumentalis. Tertiū, quia tale est agere, quale est esse: sed accidentis esse est substantiae, est enim accidens ens ens: ergo agere accidentis principaliter est substantiae: ergo accidentis solum est instrumentaliter. Et hoc confirmat modus loquendi Philosophorum omnium, qui attribunt omnes has actiones substantiis vt primis agentibus.

II.

Contrariam sententiam tenent frequentius alij Doctores vt videre licet in Scoto in 4. dist. 13. quaest. 3. Paludano quaest. 4. conclus. 1. Maiore quaest. 1. Egidio quodlib. 3. quaest. 1. & Theoremate 43. Ad declarandum autem fundamentum huius sententiae supponendum est, non esse hic quaestionem de causa principali vt quod, seu quae operatur, sed de principio principali quo. Constat enim priori modo suppositum esse quod operatur: si autem sumatur formaliter, vt est per se causa accidentalis actionis, accipi debet vt substat formae accidentali, quae est principium talis actionis: sic enim dixit Aristoteles, Po-

lycetum per accidens efficere statum, artificem autem per se. Hoc ergo modo dicitur accidens causa principalis, vt principium quo, suppositū vero vt substatens accidenti vt principium quod. Et sic probatur haec opinio, quia forma accidentalis propria virtute efficit aliud accidens: sed causa principalis est, quae propria virtute operatur: ergo. Maior patet, quando calor efficit calorem, & in vniuersum vnum accidens aliud simile: vel quando nobilissimum accidens efficit ignobilissimum, vt lux calorem: tunc enim perfectio effectus non excedit perfectionem accidentis, quod est principium agendi: ergo nec virtutem eius excedit: ergo tunc accidens propria virtute est principium talis actionis. Iuxta quam rationem intelligenda est haec sententia de accidente, quando hoc modo operatur: nam si eleuetur inferius accidens ad efficiendum aliud superioris rationis, non negabitur esse instrumentum. Secunda ratio fit, quia illud est principale principium agendi, cui assimilatur effectus: sed per calefactionem vt sic effectus fit similibus causis in calore: ergo calor est principale principium illius actionis. Tertia, quia calor per se separatus à substantia eadem vt, & efficacia exercet actionem suam, ita vt nō indigeat influxu substantiae, neq. alterius causae, quae illum suppleat, vt de accidentibus Eucharistiae, quātum ad actiones accidentales, omnes fatentur. Quarta, quia albedo, v.g. non efficit intentionales species vt instrumentum substantiae, cum ad illam actionem omnino per accidens substantia se habere videatur.

Haec controuersia, suppositis, quae dicta sunt in secundo dubio, solum videtur esse posse de modo loquendi, nam ad rem solum spectat, quem influxum requiratur accidens à substantia, vt suam propriam actionem perficiat. Hoc autem constituto & declarato, solum de significatione nominis controuersi potest, cum quaeritur, an dicendum sit instrumentum, vel principale principium. Itaque potentia animae ad actiones vitales, merito dici possunt instrumenta coniuncta animae, quatenus illi subordinantur sicut principali formae, vt sine actuali influxu, & quasi motione illius, suas operationes efficere non possint. quamuis alia ratione possint dici principia principalia, saltem partialia, quia scilicet virtus quam in se habent, & qua cooperantur ad effectum, est ex se proportionata & commensurata tali effectui, quia non excedit perfectionem ipsius facultatis, loquor enim de actionibus connaturalibus. Vnde etiam possunt potentia & forma comparari vt principium vniuersale & proximum: vtrumq. vero principale & sufficiens ac totale in suo ordine: tamē quia inter illa duo principalis est forma, cui subordinatur potentia, ideo haec subordinatio & dependentia nomine instrumenti significare potest.

At vero in aliis accidentibus, quae non ita pendunt in sua actione à substantiali forma, multo minor ratio instrumenti reperitur respectu talium actionum. Vnde, quod ad rem attinet, verissime existimantur principia principalia talium actionum, vt argumenta posteriori loco facta conuincunt, quia ex vi illius perfectionis solius, quam habet ex sua specie vel entitate, eliciunt tales actiones. Item, quia sola talis forma per se sufficit ad dandum supposito esse per se ac formaliter requisitum ad talem actionem, vt in aqua calida esse per se requisitum ad calefaciendum, tantum est esse calidum. Sicut ergo calor est forma per se, ac ex propria ratione dans esse calidum, ita et ipsa est principium principale calefaciendi. Neque ad hoc refert aut obstat, quod accidens sit in substantia, & propter substantiam, & à substantia, quia non agimus vnde, vel à quibus causis habet accidens virtutem agendi: faciemur enim habere eillam materialiter à substantia, & finaliter propter illam, & fortasse etiam efficienter mediātē vel immediātē per diminutionem naturalem: sed agimus, an formaliter habeat in se totam virtutem sufficientem, & ne-



& necessarium ad illam actionem. Et sic dicimus habere illam, & hoc solum contendimus significari, cum dicitur principalis causa, non ut quod sed ut quo. Qui principio nulla ratione obstat, quod accidens sit entis, id est, substantiæ ens, & quod totum suum esse sit alterius: quin potius illa particula *ut quo*, hæc omnia innuere & significare videtur. Vnde etiam ipsa forma substantialis quatenus est principium quo respectu sui suppositi, est suo etiam modo entis ens. Ne vero de nomine sit contentio, illud etiam dabitur priori sententiæ, quod si nomine instrumenti seu causæ instrumentariæ solum significetur (ut re vera interdum significatur) illa habitudo, quam habet accidens ad substantiam, quatenus illi datum est ut substantia per illud tanquam per instrumentum suum operetur, & ad hoc accipit virtutem ab ipsa substantia, & ab eadem in suo esse sustentatur & pendet, sic vocari potest instrumentum, prius tamen appellatur virtus aut potentia substantiæ.

SECTIO VII.

*Primum causa efficiens esse debeat in re distincta à recipiente, ut agere possit.*

**E**xplicuimus principia per se agendi causarum creaturarum, superest ut dicamus de conditionibus requisitis ad agendum, quæ licet variæ numerari soleant, tres tamen videntur grauiiores & difficiliores: & ad eas omnes alia reuocatur. Supponendum autem est omne agens creatum indigere passio ut actionem, quia, ut supra dictum est, & infra etiam ostendetur, non agit creando, sed ex præsupposita materia. Conditiones ergo requisitæ ad agendum, exigende non sunt inter causam & effectum: sic enim non erunt requisitæ ad agendum, sed consequentes actionem. Sunt ergo prærequisitæ inter agens & passum, seu inter causam efficientem & materiam. Prima igitur conditio est distinctio necessaria inter agens & passum. Secunda, propinquitas necessaria, supposita distinctione. Tertia, dissimilitudo & proportio: quanquam hæc tertia quodammodo ad rationem agendi pertinere videatur ut postea videbimus.

**O**mitto conditionem existendi, quia, ut sæpe dixi, hanc non reputo conditionem constitutam in re ab agente seu principio agendi: vnde merito dixit Aristotel. 4. Metaphysic. cap. 4. text. 16. *Et quæ non sunt, quamuis passio aut loquentur, aut ambulantur?* Præterea, quia hæc conditio includitur in omnibus aliis: nam si necesse est agens & passum esse propinqua, multo magis necessarium erit ut sint: quomodo enim erunt loca propinqua, quæ in rerum natura non sunt? Item supra ostendimus ad agendum etiam per resultantiam, non satis esse immediatè antea fuisse, multo ergo euidentius est, ad propriam efficientiam necessariam esse existentiam. Quod in naturali efficientia nemo negabit: id autem præsentī instituto sufficit, intelligendum autem est cum proportionem, scilicet, ut quod per se ipsum agit, in se existat: quod verò tantum per instrumentum separatim agit, virtualiter tantum in instrumento existat, quia solum per denominationem extrinsecam ab illo, agere dicitur: illa autem virtualis existentia nihil est aliud, quam quod instrumentum ipsum existat. Quam existentiam etiam in diuinis instrumentis necessariam esse alibi ostendimus.

**O**mitto præterea aliam conditionem, quæ in agente materiali solet requiri, scilicet, quod sit extensum, & quantitatio modo existens. Hæc enim conditio in tantum necessaria est his rebus ad agendum, in quantum intrinsece pertinet ad naturalem modum Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

essendi earum: an vero, separato diuinitus illo modo existendi, possint agere naturaliter, non tam est Metaphysica quæstio, quam Theologica, quam satis attigimus in tomo 3. tertiæ partis, d. 49. sect. 1.

*Difficultas præsentis quæstionis, & varia sententia proponuntur.*

**I**n suppositis, in hac sectione tractanda est prima conditio. In qua difficultas oritur primo ex multis exemplis, in quibus ostendi videtur non esse necessariam distinctionem in re inter agens & passum, primo ob naturales emanationes, nam ab eadē anima manat intellectus, & in eadem recipitur. Secundo in actionibus immanentibus cognoscendi, & præsertim amandi, nam eadem anima per eandem voluntatem elicit amorem, & recipit. Tertio in motibus phisicis, nam grauiæ & leuiæ se mouent, & viuentia proprius, & aqua se frigefacit, &c. Vltimo obstat ratio, quia licet illa conditio sæpe intercedat in his quæ agunt actione transeunte, quia illis naturale est agere in alia, tamen nulla est ratio quæ necessariò exiget conditionem illam. Si enim aliqua esset, maxime illa vulgaris, quia non potest idem simul esse in potentia ad recipiendum, & in actu ad agendum: hæc autem non videtur vrgens, quia, ut Scotus argumētatur, potest esse in actu virtuali seu eminenti, & in potentia formali, id est, habere vim eminentem ad efficiendam talem formam, & capacitatem ad recipiendam formaliter illam: in hoc enim nulla inuoluitur repugnantia. In contrarium vero est axioma illud ab Aristotele traditum 7 & 8. Phisic. *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*: quod adeo receptum est, ut tanquam fundamentum & principium habeatur demonstrationis, qua ostenditur Deum esse.

In hac re quidam existimant hanc conditionem non esse necessariam in omnibus agentibus, licet in multis interueniat. Ita opinatur Scotus in 1. d. 3. q. 7. & in 2. d. 2. quæst. 10. & 9. Metaphys. quæst. 14. & ibi Antonius And. qu. 1. Greg. in 2. d. 6. qu. 1. artic. 3. Iandun. 8. Phisic. qu. 12. qui nituntur argumentis factis. Quibus fauet Comment. 3. de Cælo com. 28. dicens idem posse à se ipso pati actione æquiuoca. Alij frequentius indistinctè acceptant axioma Aristotelis: & hanc conditionem ut omnino necessariam in omni agente requirunt, non solum quoad transeuntes, sed etiam quoad immanentes actiones. Quod differte declararunt Capreol. in 1. dist. 3. qu. 3. & Egid. quodlib. 3. quæst. 16. & quodlib. 5. quæstio. 15. Ferrar. 1. contra Gentes, 23. Vbi tamen excipit efficientiam per naturalem resultantiam: quod fortasse (si consequenter loqueretur) non esset necessarium. Alij vero distinctionibus variis vtuntur ut in progressu explicabimus.

*Nonnulla suppositiones ad quæstionis resolutionem.*

**P**rimo ergo statuendum est non esse necessarium, agens distingui supposito à passio recipiente. Hoc satis patet inductione facta: idque expresse docet Aristoteles 7. Phisicorum in principio, & 8. Phisicor. capit. 4. Vnde infert, idem posse mouere se ipsum, si distinguatur in partem per se mouentem, & partem per se motam, quomodo ait animalia mouere se ipsa motu locali, & fere eodem modo mouent se se viuentia motu augmentationis: agunt enim directè in alimentum, quod in se conuertunt, & sibi vniunt, & ita augentur. Sic etiam non est in conueniens, idem mouere se per accidēs, sicut mouetur anima, moto corpore.

Secundo supponendum est in eodem supposito agente in se ipsum variis modis posse distingui agens à patiente. Primo secundum diuersas partes integrantes: secundo iuxta diuersas partes substantiales & essentialia.

IV.

V.

*Aliquorum opinio.*

VI.

*Agens non necessario à patiente distinctum suppositum*

VII.

*In eodem supposito variè agere*

LI

sentia.